



**Avgvstini Barbosæ I. V. D. Lvsitani, Protonotarii
Apostolici, Olim S. Congregationis Indicis Consvltoris, &
insignis Ecclesiæ Vimaransensis Thesaurij maioris, Demvm
Episcopi Vgentini, Et A Consiliis ...**

Barbosa, Agostinho

Lugduni, 1655

XVII. Circa administrationem Sacramentorum in genere plura per Parochos
consideranda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98569](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98569)



DE PAROCHI OFFICIO, ET POTESTATE.

P A R S S E C U N D A.

In qua præcipua quædam enucleantur per Parochos notanda, & curanda circa *Baptismi*, & *Pœnitentiæ* administrationem, Sacræ *Communions*, dispensationem, *Matrimonij* celebrationem, illiusque denunciationes præmittendas, Nuptiales benedictiones, ac demum *Extremam unctionem*.

CAPUT XVII.

Circa administrationem Sacramentorum in genere plura per Parochos consideranda.

S U M M A R I U M.

- 1 Sacramentorum vim, & usum plebibus suis pro suscipientium captu explicare debent Parochi.
- 2 Sacramenta iis ritibus, & ceremoniis, quæ in Rituali sub Paulo V. edito continentur, administrare debent Parochi.
- 3 Ritus, & ceremonia in Sacramentis administrandis iam præscripta, omitti sine peccato non possunt, nisi aliud facere ipsa necessitas cogat.
- 4 Sacramenta in peccato mortali administrans an peccet mortaliter? ostenditur.
- 5 Sacramentorum validitas ex bono, vel malo ministro minimè dependet.
- 6 Ministri Ecclesiæ instrumentaliter operantur in Sacramentis, ideo non agunt secundum propriam virtutem, sed eius a quo mouentur, qui est Christus.
- 7 Sacramenti ad necessitatem requiritur, ut Parochus ipse intendat homini conferre sacramentum, saltem implicite.
- 8 Intentio virtualis sufficit in Parocho ad valorem Sacramenti.
- 9 Intentio ad Sacramenti utilitatem semper debet esse absoluta.
- 10 Sacramenta administrata sub conditione de presenti, vel de futuro valida sunt.
- 11 Parochus peccat non solum si apponat conditionem de futuro in Sacramentis administrandis, sed etiam si apponat conditionem de præterito, vel de presenti absque rationabili causa.
- 12 Sacramenta dare suis Parochianis ex obligatione iustitiæ tenetur Parochus tempore gravis necessitatis etiam cum certo periculo vitæ propriæ.
- 13 Pestis tempore Parochus non potest fugere, aut populum deserere.
- 14 Parochus nullo casu excusari potest quominus ministret Sacramenta morienti, ne quidem metu mortis, seu alterius contagiosæ infirmitatis, excepto si alteri æque idoneo officium suum cum Ordinarij consensu committat.
- 15 Parochus cauere debet ne, dum pestis tempore unius non grauiter indigentis spirituali utilitati consulere intendit, plures ex ipsis occubitu grauiorem iacturam spirituales patiantur.
- 16 Principes non possunt impedire Parochos, & Sacerdotes administrare Sacramenta tempore pestis, poterunt tamen Curatos, & alios ministrantes infectis prohibere à sanorum commercio.
- 17 Episcopus potest tempore pestis præcipere Parochis, etiam cum mortis periculo, ne ab Urbe discedant, & quod necessaria Sacramenta peccatis administrarent.
- 18 Parochi tempore pestis tenentur residere in suis Parochialibus, possunt tamen per alium idoneum ministrare Parochianis suis peste infectis Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ.

- 19 Episcopus tenetur tempore pestis suis magnis expensis idoneos querere ministros, si illi desint.
- 20 Religiosis an sit licitum tempore pestis fugere, vel potius teneantur obedire Prælati iubenti permanere, ac Sacramenta peste infectis ministrare instar Parochorum, remissive.
- 21 Parochus an possit sibi providere de necessaria defensione in probabili vitæ periculo, cum tamen necessitas Sacramenti administrandi urgeat, ostenditur.
- 22 Parochus si certo sciat se occisum iri, an teneatur ire ad infirmum sine Sacramento Penitentia certo moriturum.
- 23 Parochus, qui capitales gerit inimicitias, non potest admonere populum, ut qui indignetur illius opera, vocet eum de die, & non de nocte.
- 24 Parochus excommunicatus occultus petitus à Parochianis suis, ut Missam celebret in die festo, vel Sacramentum aliquod ex necessitate ministret, non peccat, modo præmittat dolorem de peccatis, nec possit absolutionem excommunicationis obtinere.
- 25 Parochus excommunicatus vitandus administrans Sacramenta, & ab eo illa petentes, seu recipientes extra necessitatē, graviter peccant.
- 26 Parochus minori excommunicatione notus conferendo ecclesiastica Sacramenta an peccet mortaliter ostenditur?
- 27 Gesta sacramentaliter ab eo, qui verus Parochus non est, sed communi errore talis existimatus habens titulum putativum à legitimo superiore, sunt valida in foro conscientie.
- 28 Confessiones factæ Parocho habenti titulum putativum à legitimo superiore, & communi errore pro tali existimato, non sunt iterandæ detecto impedimento.
- 29 Declaratur cap. dudum, ibi, deceptæ, de elect.
- 30 Prius quando quis est ipso iure administratione publica, beneficio, munere, & officio, quo fungitur, valent acta eius ante criminis declarationem concurrente communi populi, vel maioris partis errore.
- 31 Indulgentiæ concessa à Prælato penitus falso, qui putabatur verus, non minus operantur, quam si essent concessa à Prælato vero.
- 32 Prælati non notorie intruso solvens liberatur.
- 33 Gesta ut valeant non satis est communis error, sed necessario requiritur titulus à superiore collatus, quamvis invalidus.
- 34 Absolutio sacramentalis præstita à Sacerdote, qui communiter existimatur proprius ipsius Penitentis Sacerdos, est valida concurrente titulo à legitimo superiore collato, quamvis invalido.
- 35 Inhabilitas quando procederet à iure diuino, aut naturali, licet concurrat communis error, & titulus, gesta per sic inhabilem nullius sunt momenti.

- 36 Absolutio sacramentalis est irrita, quam præstat non Sacerdos, quamvis communiter existimetur Sacerdos, & verus Parochus.
- 37 Parochus seclusa Episcopi reservatione potest dare alteri etiam simplici Sacerdoti licentiam administrandi Sacramenta, excepta Penitentia, quam dat solus Episcopus.
- 38 Vicecuratus à proprio Parocho ob eius absentiam ad breve tempus, ut omnem curam gerat, potest alij delegare unam, vel alteram causam.
- 39 Beneficium Curatum habens quamvis regulariter per seipsum curam exercere teneatur, ex consuetudine tamen immemorabili, vel privilegio induci, & concedi potest, ut eidem per Capellanum etiam temporalem inferuiat.
- 40 Religiosi sine speciali licentia Parochi Sacramenta Vnctionis Extremæ, vel Eucharistiæ administrantes, Matrimonii, & solemnizantes, excommunicationis sententiam ipso facto incurrunt.
- 41 Religiosi in partibus Indiarum ad curam Indorum deputati tanquam Parochi, libere suis Parochianis Sacramenta administrare valent.
- 42 Simonia est pro Sacramentis celebrandis aliquid recipere tanquam pretium ipsorum, aut tanquam mercedem operis, seu laboris concomitantis.
- 43 Parochus si Sacramenta administrare nolit, ubi obligatus est, qua pena afficiatur? ostenditur.

PAROCI animaduertere in primis debent in administratione Sacramentorum, ut eorum vim, & usum Plebibus suis pro suscipientium capto explicant, sicut Patres Concilij Tridentini præceperunt sess. 24. de reform. cap. 7. in hæc verba: *Ut fidelis populus ad suscipienda Sacramenta maiorem reuerentia, atque animi deuotione accedat, præcipit Sancta Synodus Episcopis omnibus, ut non solum cum hæc per se ipsos erunt Populo administranda, prius illorum vim, & usum pro suscipientium capto explicant, sed etiam idem à singulis Parochis pie, prudenterque, etiam lingua vernacula, si opus sit, & commodè fieri poterit, seruari studeant, iuxta formam à S. Synodo in Catechesi singulis Sacramentis præscribendam, quam Episcopi in vulgarem linguam fideliter verti, atque à Parochis omnibus exponi curabunt.* Idque bono efficiat animo, ac se ad Sacramenta administranda toties quoties opus fuerit, omnibus expositum dicat non enim muneri suo satisfacit si adeo ea molestè, & ægrè administrat, ut occasionem tribuat suis ouibus non petendi deinde Sacramenta toties quoties petiuissent, amora difficultate exhibendi. Officium enim Pastoris non solum est pastum ouibus non subtrahere, verum, deducere ad illum. Ita Ioanni Sanci. in select. disp. 47. num. 11.

Secundo

2 *Secundo*, debent quoque attendere, vt illa administrent iis ritibus, & cæremoniis, quæ in Rituali sub Paulo V. Pont. Max. edito continentur, sicut in Constit. eidem Rituali præfixa, quæ est 85. in Bullario, idem Pontifex mandauit; eo quod ritus huiusmodi, & cæremoniæ in Sacramentis administrandis iam præscriptæ omitti sine peccato non possunt, nisi aliud facere ipsa necessitas cogat, vt affirmavit Pius V. in *Catechesi Romana*, p. 2. de Sacrament. in genere, §. 18. subdens valde viles esse cum mentes illorum, qui eas intuentur, & diligenter obseruant, ad sublimium rerum cogitationem erigant, fidemque in eis, & charitatem excitent. Vide Ioan. Sanci. in *select. disp.* 47. num. 19. vbi ita ait de Parochis loquens: *Cæremonias si forte ignoras, addisce, ad id enim obligaris ex Trident. sess. 22. in decreto de obseru. & euertand. in celebr. Missæ, commemorante illud Hieremie c. 48. Maledictus qui facit opus Domini negligenter, &c.* & subdit ex Palatio obligari Sacerdotes sub mortali crimine ad seruandum Cæremonias.

4 *Tertio*, debent dum ea administrant, sine peccato mortali esse; si enim peccati mortalis conscij ea administrauerint, lethalter peccare, per c. ult. 15. q. 8. & cap. fin. de cohabit. cleric. & mul. resoluunt Victor. de Baptismo, n. 28. Caiet. tom. 2. opuscul. quæst. unic. de usu rerum spirit. Nauar. in cap. 1. §. Sacerdos, de Pœnit. dist. 6. Vasq. in 3. p. tom. 2. disp. 136. cap. 3. Soar. de Sacram. disp. 16. sect. 3. Azor. instit. moral. p. 1. lib. 4. cap. 4. quæst. 6. Posseuin. de officio Curati, cap. 5. num. 42. Bonacin. de Sacrament. disp. 1. quæst. 3. punct. 2. §. 1. num. 3. Campan. in diuers. Iuris canon. rub. 1. num. 102. Illustriss. D. meus Rodericus à Cunha in comment. ad cap. 1. n. 5. dist. 77. Ratio huius resolutionis sumi debet partim ex sanctitate, ac dignitate Sacramenti, quod conficere, vel ministrare in statu peccati mortalis, veluti sordidum Christi instrumentum, non vacat irreuerentia; partim verò ex sanctitate, & dignitate officij, seu potestatis Sacerdotalis. Vnde Parochus habens conscientiam peccati mortalis debet conari, & curare vt in gratia constitutur antequam administret Sacramenta; quamobrem si aduertat se solum attritum, debet contritionis actum elicere; si verò aduertat se non posse actum contritionis elicere, debet Pœnitentiæ Sacramentum recipere, quia tenetur assumere media, quibus ad gratiam sanctificantem disponatur, ne Sacramenta indignè pertractet. Ita ex multis Bonacin. vbi supra num. 3. Concludo igitur, si Parochus Sacramentum aliquod ministraturus mortalis peccati conscius sit, alterum eorum ipsi agendum incumbere, videlicet vt vel præmissa Confes-

sione Sacramentalem absolutionem accipiat, vel per internum contritionis actum cum proposito postea suo tempore confitendi se in Dei gratiam restituat. Quapropter per accidens, nempe ob ignorantiam, fieri potest, vt Sacerdos bona fide existimans se contritum esse, cum non sit, Sacramentum in peccato mortali administret sine noua sacrilegij culpa.

Sacramentorum tamen validitas ex bono, vel malo ministro minimè dependet, sed iste etiam malus dummodo Catholicus, quamuis peccet, nihilominus (vt vtar verbis Gregorij de Valent. disp. 9. q. 4. punct. 1. & 2. tom. 4.) validè sed non licitè Sacramenta confert; nam Augustinus super Ioan. tract. 5. dicit, *Quid in Christo non nouerat Ioannes? potestatem Baptismi ipsum Dominum habiturum, & sibi retenturum, sed ministerium planè transiturum in bonos, & malos, quid ibi facit malus minister, vbi bonus est Dominus? quia ministri Ecclesiæ instrumenta-*

6 *liter operantur in Sacramentis, ideò non agunt secundum propriam virtutem, sed eius à quo mouentur, qui est Christus: S. Thom. 3. p. q. 64. art. 5. Petr. de Ledesma in sum. vbi de Sacramento Eucharistiæ, c. 10. concl. 9. Illustriss. D. meus Roder. à Cunha in comment. in princip. dist. 49. num. 4.*

7 *Quarto*, est notandum ad necessitatem Sacramenti requiri, vt Parochus ipse intendat homini conferre Sacramentum, saltem implicite, si videlicet facere velit, quod vera Ecclesia solet, aut quod Christus instituit, aut quod Sacerdotes Christianorum facere consueuerunt, etsi determinatè nesciat, aut non credat esse Sacramentum. Ita S. Thom. 3. p. q. 64. art. 8. & art. 10. ad 2. Valent. tom. 4. disp. 3. q. 1. puncto 2. propè fin. Vasq. 3. p. tom. 2. disp. 146. num. 5. Petr. de Ledesma in sum. tom. 1. vbi de Sacram. in communi, cap. 4. vers. duodecima conclusio. Bonacin. d. disp. 1. q. 3. puncto 2. num. 5.

8 Et quamuis decens sit, vt Parochus cum Sacramenta ministrat, aut sacrificat, intentionem actualem habeat; tamen ea ad valorem Sacramenti non requiritur, cum sufficiat virtualis, putà si aliquis proposito sacrificandi, vel baptizandi venit in Ecclesiam, atque idcirco sacras vestes induit ad Altare, vel baptisterium accessit, licet tunc, & in ipsa materiæ applicatione, formæ prolatione, ad alia cogitanda distrahatur, perficitur Sacramentum, iuxta doctrinam S. Thom. d. art. 8. vbi sic ait: *Si in ipso exercitio actus cogitatio ministri ad alia rapiatur, virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum, quamuis studiosè curare debeat, vt etiam actualem intentionem adhibeat, sed hoc non est totaliter positum in hominis potestate.*

9 Intentio autem ad Sacramenti validitatem

tem semper debet esse absoluta, ideoque non sufficit si Curatus baptizet, vel à peccatis absoluat sub conditione pendente in futurum, verbi gratia, si pater tuus conferit, si concubinam domo eieceris. Ratio est, quia sacra Symbola debent à ministri intentione explicita, aut implicita secundum Christi intentionem determinari, ut sunt si eorum vis, & efficacia suspendatur à futuro contingente effectu. Ita Suar. *d. disp. 13. sect. 3. assert. 3.* Ægid. de Coninch. *de Sacrament. & censur. quest. 64. art. 8. dub. 2. concl. 2.* & 3. Bonacin. *d. g. 3. punct. 2. §. 3. num. 19.* vbi

10 *num. 18.* resoluit ¶ Sacramenta administrata sub conditione de presenti, vel de futuro

11 *valida esse, & n. 20.* tenet ¶ Curatum peccare non solum si apponat conditionem de futuro; sed etiam si apponat conditionem de præterito, vel de presenti absque rationabili causa; quia exponit se periculo administrandi Sacramentum inualide.

12 Quinto est notandum, de obligatione iustitiæ tempore grauis necessitatis teneri Parochum Sacramenta dare suis Parochianis, etiam cum certo periculo vitæ propriæ; vbi enim detrimentum ouium suarum immineret in spiritualibus, non poterit ille propter pestem, aliumve morbum contagiosum, aëris intemperiem, seu ob inimicitias, aut Principis, & populi furorem se excusare, nisi adsint alij ministri, qui sufficienter id præstent: Ita S. Thom. *2. 2. q. 185. art. 5.* Suar. *tom. 3. in 3. p. disp. 72. sect. 3. col. 1.* Emman. Sà *in aphorism. verb. Charitas, num. 2.* Henric. *in sum. lib. 8. cap. 55. §. 3.* Vasq. *in opusc. de benefic. cap. 4. §. 2. art. 1. dub. 2. num. 135.* Molfes. *in sum. Theologia moral. tract. 6. cap. 11. num. 31.* Fernandez *in examine Theologia moral. p. 4. cap. 15. §. 5. num. 4.* Fagundez *in quinque Ecclesie præcepta, præc. 3. lib. 3. cap. 3. num. 1.* Sayr. *in floribus decis. sub tit. de constitut. decis. 39.* Machado *en superfecto Confessor. lib. 4. p. 2. trat. 2. doc. 11.* & latè *inf. cap. 19. n. 39.* nam ij, quibus ex officio incumbit cura alienæ salutis, teneri eam procurare etiam in periculo vitæ, ut post Valent. Filliuc. Suar. Villalob. & Palao tenet Trullench. *in expof. Decalogi lib. 1. c. 1. dub. 6. n. 13.*

13 Quapropter tempore pestis Parochus fugere non potest, nec populum deferere; bonus enim Pastor dat animam suam pro ouibus suis, Ioan. 3. Nald. *in sum. verb. Parochus, num. 15.* Rutil. Benzon. *de fuga tempore pestis lib. 1. disp. 1. q. 1. concl. 4.* Bañez *2. 2. q. 33. art. 3. dub. 4. concl. 4.* Trullench. *d. dub. 6. n. 13. in fine.*

14 quia ¶ nullo casu excusari ille potest quominus ministret Sacramenta morienti, ne quidem metu pestis, seu alterius contagiosæ infirmitatis, secundum Rip. *in tract. de peste, num. 147.* Marc Anton. Genuenf. *in man. Pastorum, c. 61. n. 8.* Piafec. *in praxi Episcop. p. 2. c. 3. n. 24.*

vers. periculo. Galleg. *de Parochor. oblig. tempore pestis p. 3. in solut. argum. num. 64.* vbi quod Parochus tenetur ea Sacramenta pestiferis ministrare, quæ sunt de salutis necessitate, alia autem non cum tanto vitæ discrimine. Lopez *p. 1. instruct. c. 67.* ait teneri Parochum tempore pestis visitare infirmos, & eis cum periculo vitæ Baptismum & Pœnitentiam ministrare, quia hæc Sacramenta sunt de necessitate salutis; non audet tamen affirmare teneri ad Eucharistiam ministrandam cum periculo vitæ, refert Trullench. *d. dub. 6. n. 14.* excipio si alteri æquè idoneo officium suum cum ordinarij consensu committat, aut resignet, sicut docent Archiep. Florent. *3. p. tit. 22. cap. 12. §. 3.* his verbis: *eos, quibus cura animarum imminet, de necessitate salutis suæ oportet perse, vel alium idoneum, Sacramentum ministrare.* Valent. *tom. 4. disp. 3. quest. 4. puncto 3.* Benzon. *concl. 4. fol. 4.* Ioan. Chapeauille *de modo ministrandi Sacramenta tempore pestis, cap. 1. q. 4.* vbi rectè tamen monet, dum Pastor beneficium Curatum altero substituto retinet licet corpore absens sit, animo tamen, & prouidentia præsentem esse debere, ut nihil necessarij ad salutem ouibus suis desit.

Cauere Parochus debet ne, dum pestis tempore vnius non grauius indigentis spirituali vtilitati consulere intendit, plures alij ex ipsius occubitu grauiorem iacturam spirituales patiantur: quare si solus sit, non facile ministrare debet cum vitæ suæ periculo Sacramenta, quæ non admodum necessaria sunt, vel secundum se, ut extrema Vnctio, vel respectu personarum quarum bonum statum Confessarius probabiliter cognitum habet, quia nuper earum confessiones exceperat. Denique quotiescunque ab aliqua persona, quam verisimilibus coniecturis Sacerdos credit non habere conscientiam peccati mortalis, vel per contritionem rectè ad moriendum dispositam esse, probabilissimè timetur periculum contagionis, in tali casu maius bonum publicæ necessitatis præferendum priuatæ alius vtilitati. Ita Ioan. Maior. *in 4. dist. 23. quest. 1.* Chapeauille *vbi sup. cap. 3. quest. 2. & 18.*

16 Principes non possunt impedire Parochos, & Sacerdotes administrare Sacramenta tempore pestis, poterunt tamen Curatos, & alios ministrantes infectis, prohibere à sanorum commercio, vt latè resoluit Marta *de Iurisdic. p. 4. casu 73.* ¶ Imò 17 potest Episcopus tempore pestis præcipere Parochis etiam cum mortis periculo, ne ab urbe discedant, & quod necessaria Sacramenta petentibus administrent, latè Duard. *in commentar. ad Bullam in Cæna Domini.*

- mini, lib. 1. cap. 2. q. 2. concl. 4. Acti. de infirmit. p. 1. rub. 23. Chapeauille de administr. Sacram. tempore pestis, cap. 1. q. 4. Homobon. de examine Eccles. tract. 15. cap. 8. q. 25. resol. 2. & nouissimè in respons. q. moral. p. 2. resp. 97. per tot. & præcipuè n. 35. Scip. de Rubeis in aphorism. Episcop. verb. Pestis, n. 1. & hac de re S. Congr. Concilij instante S. Carolo, sub die 10. Decembris 1576. censuit ¶ Parochos tempore pestis teneri omnino residere in suis Parochialibus; posse tamen per alium idoneum ministrare Parochianis suis peste infectis Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ: & si non resederint, contra eos procedendum esse seruata forma cap. 1. in fine, sess. 23. de reform. Et ¶ si adhuc ministri desint idonei, tenetur etiam suis magnis expensis Episcopus idoneos quærere, & ad administrandum exponere, Emman. Sà in aphorism. verb. Episcopus, num. 42. ex Bañes 2.2. quæst. 33. art. 3. dub. 4.
- 20 Verùm autem liceat Religiosis tempore pestis fugere, an potius teneantur obedire Prælato iubenti permanere, ac Sacramenta peste infectis ministrare instar Parochorum, & ipsis quoque in necessariis ad corporis salutem inservire; vide Fr. Emman. quæstionum Regular. tomo 3. q. 31. art. 3. cum seq. Benzoni. d. lib. 1. disp. 1. quæst. 1. concl. 10. & 11. latè, & eleganter Sanch. in præcepta Decalogi tomo 2. lib. 6. cap. 2. à num. 54. ubi quinque conclusionibus totam hanc materiam optimè exponit, nouissimè Homobon. in respons. quæst. moral. p. 2. resp. 106. vers. quaratione.
- 21 Quærit curiosè Possuin. tract. de officio Curati, cap. 5. num. 58. an detur aliqua cautela, qua Parochus sibi prouideat de necessaria defensione in probabili vitæ periculo, cùm tamen necessitas Sacramenti administrandi urgeat? Et respondet prudentià omnia incommoda superari, peculiariter verò distinguendum an periculum sit à malo, vel à mala Cœli constellatione; si ab ista vestes, & præsidia, quæ à natura docentur, sunt bona; si periculum est à malo homine, videndum est an Sacramenta, quæ sunt danda, sint necessaria, & quidem si instet auditio Confessionis morientis, est eundum. Vt autem Curatus tutò vadat dum induit se (loquimur enim de causa contingenti in nocte, quia in die magis promptum remedium inueniri potest) vocet amicos qui eum associant, si hoc potest, curet ut ipsi vocantes alios associantes vocent, si hoc non potest, ipse ferat arma, ut se defendat, quia ita ei licet, & hoc etiam si ferat Sacramentum, putà Extremæ Vnctionis. Porro ita posset agere, statim atque constiterit ei de inimicitia, videat an possit reconciliari inimicis: si hoc non potest, rem deferat ad Episcopum, & obtenta licentia arma deferat; quæ tamen

propter decentiam clericatus occultè à se deferri curet. Si vocatur pro Baptismo, sufficit ut doceat modum, quo vocantes ipsi baptizent absque eo quòd ipse vadat. Si vocatur pro Extrema Vnctione, non credo quòd teneatur ire cum tanto periculo, nisi ægrotus aliis Sacramentis iuuari nequeat; fieri enim potest, ut sit attritus, & accedente Extrema Vnctione virtute Sacramenti euadat contritus. Minus tenetur ire cum tanto periculo ad commendationem animæ. Sed & si vocatus fuerit pro Confessione, curet infirmum audiri per alium Sacerdotem, quòd si hoc non potest, eat, ut dictum est.

Sed vltèriùs quærit idem Possuin. citato loco num. 59. quid dicendum si constet Curato certò occisum iri, an etiam tunc teneatur ire ad hunc infirmum sine Sacramento Pœnitentiæ sic certò morientem, & responderet sibi videri impossibilem esse istam certitudinem mortis; quia Curatus posset fuga euadere, possibile etiam impetentes non aggressuros; seperuenturum, qui eum erueret: ideò stante incertitudine aggressus, & certitudine mortis infirmi sine Sacramentis, credo teneri ire ad infirmum, iuxta supradicta. Excusatur tamen si positiuè, seu de facto sciret pœnitentem esse in gratia, quia confessus fuerit paulò antè, & aliàs erat diligens, & bonus, Suar. tom. 4. de pœnit. disp. 44. num. 15. quod tamen cautè iudicandum est, quia esse bonum, & diligentem non arguit impeccabilitatem, ideò credo eundum, ut supra. Aduertit tandem idem Possuin. dicto loco, num. 60. ¶ non posse Curatum, qui capitales gerit inimicitias, admonere populum, ut qui indiguerit illius opera, vocet eum de die, & non de nocte, & protestari se tunc nolle ire, quia tenetur ire quotiescunque necessariò vocatus fuerit, posse tamen monere populum, ut pro viribus vocent de die, quia in nocte sunt difficultates maiores, dummodo non excludat vocationem de nocte.

Sextò, est notandum Parochum excommunicatum occultum petiitum à Parochianis suis, ut Missam celebret in die festo, vel Sacramentum aliquod ex necessitate ministrare, non peccare, modò præmittat dolorem de peccatis, nec possit absolutionem excommunicationis obtinere ante administrationem Sacramentorum, nec ipse se ingerat sua sponte ad administranda Sacramenta, sed petitus administret, ita Possuin. d. tract. de officio Curati, cap. 5. num. 46. & expressus Bonac. de censuris, disp. 2. quæst. 5. puncto 2. §. 3. num. 5. vers. responderetur, aliàs enim teneretur se abstinere sub peccato mort. Valer. de differ. inter utrumque forum, verb. nullitas, differ. 3.

Et

Et ideo hoc casu Parochiani petentes ab eo celebrationem Missæ, ut illam audiant in die festo, minimè peccant, secundum eundem Bonac. citato loco. Ratio est, quia Concil. Constantiense cum fidelibus concedat facultatem communicandi cum excommunicato tolerato, videtur indirectè concessisse ne excommunicatus toleratus peccet communicando, & administrando Sacramenta, quando petuntur ab aliis fidelibus, alioquin si excommunicatus toleratus peccaret, tenerentur ceteri fideles abstinere à participatione cum excommunicato ad evitandum illius peccatum, consequenter non censeretur fidelibus concessa facultas communicandi cum excommunicato tolerato in Sacramentis, & quibuscunque Divinis. Quare decretum Concilij Constantiensis videtur directè positum in fauorem fidelium, & indirectè in fauorem excommunicati tolerati, quatenus expedit, & necesse est ut fideles tutò utantur privilegio participandi, & communicandi cum excommunicato tolerato. Vide Sanchez de Matrimonio, lib. 7. disp. 9. num. 8.

25 Verum Parochus excommunicatus vitandus administrans Sacramenta, & ab eo illa petentes, seu recipientes extra necessitatem graviter peccant; Sacramenta tamen ipsa sic ab excommunicato vitando administrata, valida sunt, excepto Pœnitentiæ Sacramento, ex eo, quia ad illud validè administrandum requiritur iurisdictio, & non sufficit potestas Ordinis, excommunicatus autem vitandus caret iurisdictione, ita Bonacin. d. disp. 2. q. 2. puncto 2. §. 4. ex num. 1. ubi quoque subdit Confessionem factam excommunicato vitando iterandam esse, utpote inualidam, etiamsi pœnitens ignoraret ipsum esse excommunicatum, modò Confessio non fuerit facta in eo loco in quo Sacerdos ignorabatur esse excommunicatus, & ex communi errore, ac titulo colorato habebatur pro legitimo Sacerdote, ex dictis infra, num. 27. cum seqq. & modò Confessio facta non fuerit in articulo mortis.

26 Si verò Parochus fuerit tantum minori excommunicatione innodatus, conferendo Ecclesiastica Sacramenta an peccet mortaliter, dubium est admodum controuersum. Quidam enim affirmant auctoritate text. in cap. si celebrat, vlt. §. peccat autem. de cleric. excommunic. dum simpliciter inquit peccare conferendo, quod magis propriè adaptatur peccato mortali, accipiendo verbum, peccat, à principali significatione, iuxta reg. cap. pen. de sentent. excomm. Ita Innoc. in d. cap. si celebrat, Adrian. de Clauib. q. 3. Syluest. in sum. verb. excommunicatio 4. num. 1. Archid. in cap. vir cum propria, 34. q. 4. à quo non dissentit, imò

memoriæ tenendum monet Couar. in cap. alma mater, p. 1. §. 8. num. 2. vers. sed et si. Alij autem non desunt, qui sentiant nullum peccatum ipsum committere, ex quorum numero sunt Nauar. in man. cap. 27. num. 24. Henriq. in sum. lib. 13. cap. 3. §. 1. Vgolin. de censur. tab. 3. cap. 6. §. 2. & vi difficultatis oppressus cogit se eidem opinioni adhaerere concludit Suar. tom. 5. de censur. disp. 24. sect. 2. n. 7. & 9. respondentes tex. in d. cap. si celebrat, procedere in eo, qui non solum confert, sed conferendo simul & suscipiendo participat, ideòque peccare, ut rex. ille habet, non quatenus confert aliis, sed quatenus ipse sibi suscipit, atque intelligunt vers. peccat autem, consonare principio textus, ubi de celebrante agitur. Sed ceteri, quorum communior sane apparet opinio, medium tenentes affirmarunt illum veniale peccatum committere, expèdientes rationem illam; quia licet excommunicati minori excommunicatione nullum legis præceptum directè offendant, ac subinde non peccent mortaliter, non tamen seruant debitum rationis modum à lege intentum, sed potius irreuerenter agunt ea tractando, & aliis conferendo, quæ lex prohibet ab ipsis suscipi, quam irreuerentiam sufficere ad culpam venialem, colligitur ex doctrina S. Thomæ p. 3. quæst. 64. articulo 6. recepta ex multis, de quibus Henriq. in sum. lib. 1. cap. 29. §. 2. & 3. Quare ita tenent Anch. in dist. cap. si celebrat, Caiet. in sum. verb. excommunicatio minor, Sor. in 4. dist. 22. quæst. 2. artic. 3. Cardinal. Toler. in instr. Sacerd. lib. 1. cap. 11. num. 3. & plures alij, quos refert, & sequitur Sayr. de censur. lib. 2. cap. 22. num. 17. Ioan. Valer. de different. inter utrumque forum, verb. Excommunicatio, differ. 3.

Septimò est notandum, gesta sacramentaliter ab eo, qui verus Curatus, seu Parochus non est, sed communi errore talis existimatur, habens titulum putatiuum à legitimo Superiore, esse valida in foro Conscientiæ. Ita gloss. verb. deceptæ, in c. dudum. 54. de elect. ubi Abb. antiq. num. 4. Innoc. & Comp. post. num. 3. Host. n. 12. Ioan. Andr. num. 42. Bald. n. 5. Anchar. col. 4. prope fin. vers. quinto oppono, Butr. num. 24. & seq. Panor. n. 20. quos refert, & sequitur Rendina in promptuario recept. sentent. tom. 1. tit. 38. num. 23. Ioann. Valer. de different. inter utrumque forum, verb. nullitas, differ. 2. num. 2.

Vnde Confessiones his factas iterandas non esse detecto impedimento, per rex. in cap. infamis, vers. verumtamen. 3. q. 7. & in l. Barbarius, ff. de offic. Prætor. & in l. 2. C. de sent. & interl. resoluunt Innoc. Ioann. Andr. & Abb. citatis locis, Nauar. in cap. placuit, de Pœnit. disp. 6. num. 179. & seq. ubi subdit, quòd si notoriè quis

quis suo titulo, & possessione iuris priuaretur, sed non adeò notoriè quin possessionem facti retineret, & à Superiore toleraretur, eo casu gesta per ipsum in conscientia foro valerent: vbi etiam secus resoluit quando Parochus sine vlla Superioris auctoritate se in beneficium intrusit, vel notoriè ipso iure, aut per sententiam est suo titulo priuatus: quod etiam resolunt plures relati à Sanch. *de Matrimon. lib. 3. disp. 22. num. 13.*

26 Non obstat *d. cap. dudum*, ibi, *decepta*, quia † Abb. illic *num. 26.* Sanch. *vbi supra num. 14 & sub num. 56.* intelligunt verbum illud *decepta*, quasi animæ Parochianorum à Curato Ecclesiæ priuato, & communiter tolerato absolutorum non decipiantur verè per huiusmodi absolutionem, imò per eam supposita bona fide saluentur ad instar Baptismi inualidi bona fide suscepti, iuxta text. *in cap. 2. & in cap. ultimo, de Presbyt. non bapt.* sed solum dicuntur *decepta*, habito respectu ad animum prædicti Curati eas decipere intendentis.

30 Vnde etiam quando quis est ipso iure priuatus administratione publica, beneficio, munere, & officio, quo fungitur, valent acta eius ante criminis declarationem concurrente communi populi, vel maioris partis errore. Ita Nauar. *in dict. cap. placuit, n. 179. & seq. Azor. instit. moral. p. 1. lib. 5. cap. 8. quas. 2. & p. 2. lib. 7. cap. 17. ques. 4.* Sanch. *d. disp. 22. num. 56.* vbi n. 58. resoluit quòd dum priuatio, & hominis inhibitiò est occulta, adhuc valent gesta concurrente prædicto communi errore.

31 Hinc denique indulgentiæ concessæ à Prælato penitus falso, qui putabatur verus, non minus operantur quàm si essent concessæ à Prælato vero, vt per Auiles *ad cap. 1. Prætor. num. 13. pag. 15.* Et † qui soluit Prælato non notoriè intruso liberatur, Gama *Lusit. decis. 1. num. 1. & decis. 303. num. 1.* Mascard. *de probation. concl. 1323. num. 1.* Surd. *decis. 229. num. 10.* Gonzal. *ad reg. 8. Cancel. glos. 45. §. 2. num. 17.*

33 Vt autem gesta valeant, non satis est communis error, sed necessariò requiritur titulus à Superiore collatus, quamuis inualidus sit ob aliquod vitium latens; quare dum aliquis sine titulo, & auctoritate Superioris in officium Iudicis, Parochi, aut Confessoris se intrusit, licet communis error facti accedat, gesta per illum ad vtrumque forum pertipentia sunt prorsus inualida, ita Sanch. *dict. disp. 22. num. 49.* Suarez *in 3. p. tom. 4. dist. 26. sect. 6. num. 7.* Lessi. *de Instit. lib. 2. cap. 29. dub. 8. num. 68.* Valer. Reginald. *in praxi fori pœnit. lib. 1. num. 102. & 103.* Ægid. de Coninch. *de Sacramentis, disp. 8. dub. 3. num. 22. & dub. 6. n. 47.* Villalob. *in sum. tom. 2. tract. 1. diff. 13. numer. 5.* Barbosa de Parocho. Pars I.

Filliuc. *tom. 1. tract. 7. cap. 9. num. 127.* Ioan. Valer. *de different. vtriusque fori, verb. Nullitas, differ. 7. num. 2.* Fagundez *in quinque Ecclesiæ præcepta, præc. 2. lib. 7. cap. 2. n. 73.*

Contra Basil. Ponti. *de matrimon. lib. 3. c. 22. num. 46.* & Ioan. Sanc. *in selectis, disp. 44. num. 3.* existimantes quòd vt gesta valeant tam in foro externo, quàm Conscientiæ, satis esse haberi communem errorem, nec necessarium esse titulum collatum à Superiore legitimo.

Intellige supradicta, & sic tunc solum 34 communem errorem, & titulum operari validitatem eorum, quæ geruntur per inhabilem, quando inhabilitas fuerit de Iure humano, veluti quando absolutio sacramentalis præstatur à Sacerdote, qui communiter existimatur proprius ipsius pœnitentis Sacerdos, cum tamen à parte rei non esset talis, propter aliquod sui ipsius impedimentum iuris humani, vt quia titulum beneficii Parochialis, alioquin sibi legitime collatum amisit à parte rei ipso iure propter ademptionem alterius beneficii, iuxta terminos *d. capit. dudum, & cap. de multa, de præbend.* vel propter delictum eandem priuationem inducens, vel ob aliud simile impedimentum. † Quando verò inhabilitas procederet à iure diuino, aut naturali, licet concurrat prædictus error, & titulus, gesta per sic inhabilem nullius erunt momenti, Abb. *in capit. 2. in fine, de Presbyt. non baptiz.* & alij quos refert, & sequitur Mascard. *de probat. concl. 649. n. 98. & 99.* Sanchez *d. disp. 22. num. 27.* Vnde † si 35 si non Sacerdos sacramentaliter absoluat, quamuis communiter existimetur Sacerdos, & verus Parochus, absolutio est irrita; is enim patitur inhabilitatem de Iure diuino, secundum quòd soli Ordini sacerdotali anexa est iurisdicção necessaria ad eam absolutionem ministrandam, ex text. *in cap. verbum, de Pœnit. dist. 1.* Concil. Trid. *sess. 14. de Sacrament. Pœnit. can. 10.* resolunt Sanch. *loco citato*, & Ioan. Baptista Costa *de remed. subsidiar. remed. 127. num. 25.* latè, & eleganter Ioan. Valer. *de different. vtriusque fori, verb. Nullitas, differ. 2. numer. 3.* vbi refert in loco del Pouo Regni Aragoniæ inuentum fuisse Parochum, qui erat laicus Regni Franciæ, & curam animarum illius loci per 33. annos exercuerat.

Octauò est notandum, Parochum seclusa 37 Episcopi reservatione posse dare alteri etiam simplici Sacerdoti licentiam administrandi Sacramenta, excepta Pœnitentia, quam dat solus Episcopus ex Concil. Trident. *sess. 23. de reformat. cap. 15.* Ita Sacra Congregat. negotiis Episcoporum, & Regularium præposita rescriptit Episcopo Castellanen. sub die 20. Augusti 1620. vbi etiam quòd hoc idem Episcopus ei pro-

M habere

hibere non debet, Posseuin. *d. tract. de officio Curati, cap. 5. num. 50.* vbi subdit quòd ministrare sine tali licentia Sacramenta, est peccatum mortale. † Sed iste Vicecuratus à proprio Parocho ob eius absentiam ad breue tempus, vt omnem curam gerat, potest alij delegare vnam, vel alteram causam, Sanch. *de Matrim. lib. 3. disp. 31. n. 13.* Squillante *de privilegiis clericorum, cap. 2. num. 34.* vbi numer. 35. subdit non posse prædictum Parochi delegatum ad vniuersam Parochiæ curam, alteri delegare omnem curam dum abest, etiam ad modicum tempus, nisi adesset consuetudo, vt dum ad breue tempus abest, substituatur aliquem ministraturum omnia Sacramenta in Parochia, quia Parochus Vicecuratum instituens, & conscieus consuetudinis tacens, videtur tacite dare facultatem ad eam substitutionem, & vbi extat dicta consuetudo, posset sic institutus à Vicecurato dare alteri licentiam assistendi Matrimonio, aut ministrandi aliud Sacramentum, quia est delegatus ad vniuersitatem causarum, & non censetur delegatus illius Vicecurati; & n. 37. resoluit quòd si Parochus præsens assumeret Vicarium locantem operas, vt ipsum adiuvet, hic Vicarius non posset delegare, quia non censetur illi vices suas plenas committere; & num. 39. ait quòd Sacerdos delegatus ad assistendum alicui Matrimonio, ex delegatione Parochi non potest subdelegare, quia delegatus ad vnam causam non potest totam delegare, nisi sit delegatus supremi Principis.

39 Et nota, quòd Curatum beneficium habens, quamuis regulariter per se ipsum curam exercere teneatur; ex consuetudine tamen immemorabili, vel privilegio induci, & concedi potest, vt eidem per Vicarium, seu Capellanum etiam temporalem, & ad nutum amouibilem inferuiat. Ita Nauarr. *conf. 21. de cler. non resid. in nonis*, Sayr. *in floribus decis. sub eodem tit. decis. 18.*

40 At Religiosi, qui sine speciali licentia Parochi præsumunt clericis, aut laicis Sacramentum Vnctionis Extremæ, vel Eucharistiæ ministrare, Matrimoniiu solemnizare, excommunicationis incurrunt sententiam, ipso facto per Sedem Apostol. dumtaxat absoluendi, Clem. 1. *de privileg. plures citati per me, de officio, & potest. Episcop. p. 3. alleg. 50. num. 96. secundum Lugdunen. impress.* quibus addo Lezanam *in sum. quest. Reg. tom. 1. c. 9. num. 31.* & ad singula quæque Sacramenta infra in suis locis adnotabimus.

41 In Partibus verò Indiarum Occidentalium Religiosi ad curam Indorum tanquam Parochi liberè suis Parochianis ministrare valent sine metu dictæ excommunicationis, quia id faciunt ex commissione Papæ per indul-

rum Alexandri V I. in quo datur facultas, seu commissio Regibus Hispaniarum ad assignandos populos Fratibus Mendicantibus sine consensu Episcoporum, vt ibi exercent potestatem parochorum, puta Sacramenta ministrando, Euangelium prædicando, mortuos cum elevatione Crucis sepeliendo, & tandem oblationes factas à Fidelibus in eorum Ecclesiis colligendo, vt est notorium in illo nouo Orbe; ex quo consequenter fit quòd etiam Communionem paschalem implendi præcepti Ecclesiastici gratia valent inibi ministrare, itémque assistere Matrimonii, seu nuptias benedicere, vt expressè concessit pius V. sicut testantur Miranda *in man. Prælat. tom. 1. q. 42. art. 6.* nouissimè Hieron. Roderic. *in compendio question. Regular. resolut. 126. num. 10.* dum tamen sint periti in lingua, & idiomate illius gentis, aliàs enim non reputantur habiles ad curam animarum per se ipsos exercendam, portel. *in dubiis Regular. verb. Sacramentorum administratio, num. 1. & 2.* Hieron. Roder. *vbi sup. resolut. 109. num. 1. in fine.* Eodem privilegio gaudent Fratres Minores in Brasilia per concessionem Sixti V. cuius transumptum vidisse authenticum, testatur portel. *in addit. ad dubia Regularia, verb. Matrimonium, numer. 9. in fine*, vbi etiam addit eandem concessionem (vt arbitratur) factam esse pro India Orientali, vbi Fratres assistunt conuersioni Indorum in locis sibi assignatis ad ministranda Sacramenta, refert Hieron. Roder. *d. resolut. 126. n. 10. vers. eodem.*

Non est notandum simoniam esse pro Sacramentis celebrandis aliquid recipere tanquam pretium ipsorum, aut tanquam mercedem operis, seu laboris concomitantis, vt probat *cap. quicquid, 1. q. 1. ibi pretia quælibet, vel præmia*, Bonacin. *de simon. q. 4. §. 1.* nisi tanquam stipendium sustentationis accipiat, iuxta illud Christi Domini, Matth. c. 10. *Dignus est operarius cibo suo*, & Lucæ 10. *Dignus est operarius mercede sua*, cap. pen. & ult. 1. q. 2. cap. cum secundum, de præbend. Victor. *de simon. p. 2. numer. 19.* Syluest. *in sum. verb. simonia, q. 9.* Sor. *lib. 9. de iustit. q. 8. art. 1.* Nauarr. *in man. c. 23. num. 101.* Bonacin. *de simon. q. 6. puncto 2. n. 1.* & redditus ratione curæ sibi obuenientes adeò tenues essent, vt non sufficerent ad sustentanda onera personæ status & officij, Valent. *tom. 3. disp. 6. q. 16. punct. vers. quodam etiam.* Quotiescunque enim in his terminis concurrat causa honesta dandi, & recipiendi, qualis erit eleemosyna, pia oblatio, stipendium sustentationis, merces laboris accidentalis, & oblationis subsequente, vel iuxta consuetudo rationalis, & præscripta, temporalia sic data spiritualium ministris ex huiusmodi causis præsumuntur concessa,

concessa, ac proinde excludunt quamcunque sinistram turpiter recepti presumptionem, ut de eleemofyna, & oblatione est tex. in cap. placuit il. 2. & in cap. dictum, 1. q. 1. & in cap. dilectus 30. de simon. de stipendio, & sustentatione est tex. in cap. pen. 1. q. 2. & in d. cap. cum secundum, de consuetudine; est etiam text. in capit. ad Apostolicam, de simon. ubi gloss. ultim. & Abb. numer. 4. & docent citati a Bonacin. de simon. quest. 1. §. 2. vers. secunda est.

Non committitur tamen simonia accipiendo aliquid pro materia remota Sacramentorum, ut pro pane, vino, aqua, oleo, &c. Ratio est, quia non accipitur temporale pro spirituali, cum materia remota Sacramenti secundum se sit res naturalis temporalis, & pretio aestimabilis, nec valorem suum amittat ob connexionem cum spirituali, ut bene resoluit Bonacin. de simon. q. 4. §. 1. num. 2. ubi in vers. dixi, tradit temporale accipi non posse pro materia proxima, velut pro ablutione in Baptismo, pro consignatione in Confirmatione, pro speciebus consecratis in Eucharistia, pro verborum prolatione in Sacramento Pœnitentiæ, & sic de cæteris, ex ea ratione, quia in cap. baptizandis, & in c. in Ecclesia, de simon. & in aliis Iuribus 1. q. 1. habetur simoniam committi non solum vendendo Sacramenta, verum etiam vendendo actiones Sacramentorum, & sacra, ministeria, quæ in actionibus corporalibus consistunt, & subdit idem Bonacin. ibidem in vers. ex dictis, de forma Sacramentorum idem esse sentiendum quod de materia proxima.

43 Superest nunc videre quæ pœna afficiatur Parochus si Sacramenta administrare nolit, ubi obligatus est? Et primò omisiss multis, quæ tradit Grilenzon. conf. 171. pro certo constituendum est si moriatur Parochianus sine Sacramentis, graviter ac mortiferè Parochum peccare; nam reus est illius animæ, ut dicitur in cap. si Presbyter, & in cap. seq. 26. q. 6. gloss. verb. sine confessione in cap. officium, de offic. Archipr. Vgolin. de offic. Episcopi cap. 15. §. 12. num. 14. Quoad pœnam verò cum non generatim de omnibus Sacramentis, nec de singulis speciaticim cautum sit, quæ pœna inferatur nolenti Sacramenta administrare, arbitraria pœna puniendum hunc esse existimo, arg. l. 1. ff. de iure delib. & cap. de causis, de offic. deleg. resoluunt Nauarr. conf. 3. de penis, in antiq. alias conf. 5. de Paroch. in nouis, Sayr. in floribus decis. sub illo tit. de penis decis. 3. Salzed. ad Bern. in pract. cap. 55. vers. hinc procedit, Vgolin. d. §. 12. num. 14. ubi subdit arbitriariam pœnam inferri habito respectu ad negligentiam Parochi, & ad necessitatem Sacramenti, & salutem animarum; additque id locum habere in Barbosa de Parocho. Pars II.

Sacramentis necessariis, ut in Baptismo, & Pœnitentia, excipit tamen ubi quis infirmum sibi commendatum baptizare nolit: nam si sine Baptismo moriatur, deponi debet, per cap. quicumque Presbyter, de consecrat. dist. 4. Hæc pauca sufficiant dixisse de Sacramentis in genere, nunc verò de singulis in particulari infra aliquid prælibabimus. videlicet de Baptismo, Pœnitentia, Sacra Communione, Matrimonio, & Extrema unctione. Non pauci scriptum reliquerunt Parochum primam Tonsuram subditis suis conferre posse, ex quorum numero sunt Panorm. in cap. 4. de consuetud. numer. 9. Archidiac. Hugo & Innoc. in cap. nullus Episcopus, de tempor. ordinat. Sed hoc meritò repellunt Sot. in 4. dist. 25. quest. 1. art. 1. Martin. Fornar. de Ordine cap. 5. §. 2. in 5. dub. Azor. instit. moral. p. 2. lib. 3. cap. 48. q. 2. nouissimè Philibert. Marchin. de Sacram. Ordinis tract. 1. p. 2. cap. 10. num. 3. ubi refert totius Romanæ Ecclesiæ usum testari hoc munus ad Episcopum pertinere, ego ipse de offic. & potest. Episcopi p. 2. alleg. 3. n. 16.

CAP V T XVIII.

De Baptismi Sacramento administrando præcipua quædam per Parochum curanda.

S V M M A R I V M.

- 1 Baptismi solemniter, & ex Pastoralis officio celebrandi est proprius minister Sacerdos.
- 2 Baptizans solemniter cum non sit Sacerdos illicitè baptizat, & si clericus sit, irregularitatem incurrit.
- 3 Irregularitatem incurrit, qui ministrat in Ordine sacro, quem non habet, modo scienter, serio, & ex officio ministret.
- 4 Excommunicatus Parochus maiori excommunicatione non potest solemniter baptizare, aliàs peccabit mortaliter, & fiet irregularis, imò nec in extrema necessitate; sed debet tali casu absque solemnitate baptizare.
- 5 Parocho excommunicato præferendus est laicus non excommunicatus in baptizando in extrema necessitate.
- 6 Baptismus non potest ministrari solemniter in casu necessitatis, vel extra, ab interdicto personaliter.
- 7 Baptizandus quisque est in sua, cui subest, Ecclesia, nisi peregrinus sit, vel certum non habeat domicilium.
- 8 Parochus si infirmum baptizare voluerit, & ille sine Baptismo moriatur, deponitur.